



Handwritten text, possibly a signature or date, located in the upper center of the page. The text is faint and difficult to decipher.

XLIII

DISPUTATIO

QVÆSTIONVM POLITICA
RUM SECUNDA,

DE

MAGISTRATU,

Quam

Juvante Altissimo,

In

Illustri Academiâ Wittebergenfi,

PRAESIDE,

Clarissimo & Doctissimo Viro

DN. M. NICOLAO ZAPFIO,
Königseensi Thuringo, Amplifs. Facult. Philosoph.
wittebergenfis Adjuncto longè dignissimo.

defendet

CHRISTOPHORVS *ΕΙΣΧΗΡΩΝ*
Gura-Silesius,

Ad diem 28. Aprilis, horis matutinis



WITTEBERGÆ,

Exscripta typis JOHANNIS HAKEN.

ANNO M. DC. XXVIII.

DISPUTATIO
QUESTIONVM POLITICARVM
RVM SECVNDARVM
DE
MAGISTRATV

Jurisco. Politicis

Magistratus Politicus

Tractatus
Christophorus D. Politicus

DM. M. NICOLAUS ZAPFIO
R. Magister Politicus, Facult. Philosoph.

CHRISTOPHORVS
D. Politicus

Magistratus Politicus

Magistratus Politicus
Christophorus D. Politicus

QVÆSTIO I.

*An aliquis bonâ conscientia in aula sive Caesaris, sive Principis
vivere possit?*

Hic subdubitari possit; quia Veterum Arabicorum & Hebræ-
orum adagium fuerit: Die Hoffstädte sein gleich einem sehr
hohen Berge/da zwar die besten Gewürk vnd Früchte Wache
sen/ aber zugleich das vngezämeste Wild sich auffhelt. Et Poe-
tarum Aquila Lucanus dixerit lib. 8.

facere omnia sævè

Non impunè licet, nisi cum facis, exeat aulâ,

Qui vult esse pius, virtus & summa potestas

Non coeunt.

Quò Germani respiciunt; Lange zu Hoffe/ lange zur Hellen. Item:
Als Petrus gen Hofe kam / ward er ein schalck: & versus, quibus non-
nulla pecora in aulis degentia uti solent:

Gutte Kleider / vnd gute biessen/

Böse gesundheit/vnd böse gewissen.

At hic dubitationi locus nullus. Nam 1. in aulis vocationes &
functiones sunt legitimæ, in quibus cum Ecclesiæ, tum Reipub. mul-
tum prodesse possumus. Quapropter nullam video causam, cur eas
oblitas non suscipiamus. Adde 2. quod Daniel & Iosephus in aulis vix-
erint. At si hi sobriè erga seiplos, iuste erga proximum, & piè erga
Deum vivere non potuissent, profecto aulicos non egissent, Inquies
tamen, nullum Christianorum in aulis vivere posse; quia in ijs multa
impietatis exercitia, utpote heluationes, luxuries, scortationes deni-
que vigeant. At respond. hanc rationem esse infirmam. Sic enim con-
cludit: *Vbi multa impietatis exercitia vigent, ibi non est vivendum. Atqui
in aulis multa impietatis exercitia vigent. Ergo in ijs non est vivendum. Hic
Respond. ad Majorem 1. Indirectè & per instantiam hoc modo: Vbi
multa impietatis exercitia vigent, ibi non est vivendum. Atqui in mundo mul-
ta impietatis exercitia vigent Totus enim mundus est stabulum nequitie
& in maligno positus 1. Johan. 5, 19. Ergo in mundo non est vivendum.
Conclusio est absurda, Ergo vel Major, vel Minor, At non Mi-*

A 2

nor.

nor. Relinquitur ergò quod Minor. 2. *Directè & perlimitationem*: Ubi multa impietatis exercitia vigent, *ita ut adea vel similia perpetranda cogamur*, ibi vivendum non est. At limitata Maiore propositione negatur Minor. Nam in aulis Principum & Cæsarum homines ad impietatis exercitia perpetranda non coguntur, sed ab ijs potius arcentur. Quapropter in Minori committitur *fallacia* 1. *Causæ*. Non enim aulæ, ut aulæ homines corrumpunt, sed nonnulli, qui in ijs non sine scandalo vivunt. Est igitur 2. *Falla à dicto secundum quid, addictum simpliciter*. Nō enim ἀπλῶς, sed κατὰ τι tantū, nempe respectu certorum aulicorū, quod de aulica hominum infectione dicitur, verum est. Proindè vitiosè simpliciter infertur, quod aulæ ipsæ sint vitandæ.

QVÆSTIO II.

An Magistratus subditos ad religionem cogere queat?

Pontificij affirmant propter verba Domini *Luc. 14, 23. Exi in vias & sepes & coge ingredi ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, ut impleatur domus mea*: & propter exemplum Christi, qui flagello accepto, nummularios ejecit e templo, *Luc. 19. At nos negamus* propterea I. quod nullibi sacris in literis præceptum sit, ut homines ad religionem capeffandam Christianam vi cogantur. *Addimus & hoc* 2. quod Patriarchæ & Prophetæ in V. T. neminem ad fidem amplectendam armis violentis necessitarint, sed cum homines illis obedire recusarunt, id Deo conquesti fuerint dicētes & exclamantes: *Domine quis credit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* *Esa. 53.* Neque Apostoli id fecerunt, sed egressi prædicaverunt ubiq; *Marc. 16.* nunquam verò contumaces vi externa & pœnis ad credendum compulerunt. Quare Rex ille Poloniae potentissimus Sigismundus Augustus optimè dixit: *Gott habe ihm drey sachen allein fürbehalten: Etwas aus nichts zumachen: alles zukünftiges zuwissen: Und vber die Herzen oder gewissen der Menschen zu Herrschen: & Maximilianus II. Imperator verè Augustus dicere solitus est: Er hielt diß für die aller grösste Tyranney/wenn Menschen vber anderer Leute gewissen Herrschen wollen.* Quid Paulus? *Non cupimus, inquit, dominari vobis nomine fidei, 2. Cor. 1. Taceo, quod Patres hoc prohibuerint, nemini ad credendum vim esse inferendam*

ferendam. Tertulianus ad Scapulam c. 2. fol. 88. Es gehört vñnd ge-
 bühret der rechten Religion nicht/es ist derselben nicht gemäß/es stehet
 ihr nicht wol an / jemanden zum beyfall vñd annemung zu zwingen.
 Mit gutem willen solle die rechte Religion angenommen werden/vñd
 nicht durch zwang. Hilarius ad Constant. Imperat. Er geziemet sich
 gar nicht/es gebühret sich nicht/das man jemanden zum Glauben wie-
 der seinen willen zwingen vñd bewegen solte. In Concilio Toleta-
 no IV. Can. 56. expressè hæc habentur verba: Man solle niemanden
 mit gewalt zum Glauben oder der Religion zwingen: Denn es stehet
 geschrieben: *Des ich mich erbarme des erbarme ich mich/Rom. 9. Ad*
locum scripturæ initio allatum respond. nobis non esse contrarium,
quippe concedimus Magistratum subditos non quidem ad ipsam
fidem amplexandam; sed ad media illa externa, per quæ Spiritus
Sanctus fidem in hominibus operari solet, cogere posse? 2. Resp. ex
dicto allegato malè concludunt Pontificij. Nec enim sequitur: Ser-
uus iubetur, ut invitatos ad cœnam compellat intrare. Ergo subditi sunt cogendi
ad capeffendam veram religionem. Qualis quæso hæc est consequentia?
Quæ vis inest tali discursui. 3. Respond. per distinctionem. Distinguen-
dum namq; est inter coactionem externam ac civilem quæ fit vi corpora-
li: qualiter Magistratus civilis cogit sceleratos, inque officio conti-
net:& inter coactionem internam & spiritualem, quæ non fit gladio sed ver-
bo, nempe per Ecclesiasticum ministerium consistens in continua
verbi penetrantis prædicatione & severa pœnarum comminatione.
Hæc in citatis verbis intelligitur, illa non. 4. Resp. si verbis allegatis à
parte Pontificiorum standum sit, sequetur, non Magistratum tantum,
sed & ministros Ecclesiæ, cum quibus hoc loco sermo est Servatori,
contumaces ad fidem capeffendam vigladij externa & violentâ co-
gere posse, quod est absurdum. Ad Exemplum Christi respond. non
ideo cum flagello accepto nummularios eiecisse è templo Luc. 19, ut
hac violentiâ ad fidem eos cogeret, sed ut templi saltem averteret
profanationem, hoc est, nundinationem. Etenim ad cultum divi-
num erat extructum templum, non autem ad avaritiæ exercitium. Est
ergò fallacia cause, & consequentis. Quippe sequila putida: Christus Flagello
accepto nummularios eiecit è templo. Ergo vi corporali possunt homines ad fidem
capeffendam cagi. Perinde est, ac si ita argumentarer: Petrus occidit Ana-
niam & Saphiram Act. 5. Ergo hæretici vigladij possunt interfici. Breviter

A renovatione templi ad externam & civilem coactionem fidei non valet consequentia,

QVÆSTIO III.

Num Papæ liceat Romanum Imperatorem pedibus calcare?

Pro affirmativa posset quis exemplum Pontificis Romani Alexandri III. afferre, qui Cæsarem Ferdinandum Barbarossam venetiæ publicè pedibus calcavit, & verba Psalmi 91. de se interpretatus fuit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & concu leabis leonem & draconem*. Imò etiam hanc rationem dare, quia Papa potestatem habet Cæsares deponendi. At negativa verissima. Fundamentum nostrum tale est. *Cui Papa debet honorem & debitam reverentiam prestare, illum pedibus calcare nequit. Atqui Imperatori Romano debet honorem & debitam reverentiam prestare. Ergò Imperatorem Romanum pedibus calcare nequit.* Ad exemplum in contrarium adductum respond. illud nihil evincere. Siquidem factum prolatum Papæ Alexandri III. non probatur, sed improbat, adeoq; non ad imitationem sed ad emendationem, ut alia quam plurima, in literas redactum est. Ad rationem respond. eam esse nullam sed otiosè fictam, Proinde eadem facilitate rejicitur, quâ in medium adducitur.

QVÆSTIO IV.

An Magistratus furem suspendere possit?

Maxima deformatissimorum Reformatorum pars negat, nixa Illege Dei per Mosen præscripta, quæ furibus non imponit pœnam capitalem, sed redditionem in duplum, quadruplum, vel quintuplum. Sic enim legitur. *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem & occiderit vel vendiderit quinq; boves pro uno bove restituet, quatuor oves pro una ove.* Hinc talem nectunt Syllogismum: *Quicquid legi divinæ contrariatur, injustum est. Suspendium furum contrariatur legi divinæ. Igitur injustum 2. Ratione.* Magna enim, inquit, est corporis humani præstantia atque dignitas, ob animæ rationalis dignitatem ac nobilitatem. Mitius ergò tractari deberet. Verum affirmativam hac vice cum nostris Præceptoribus tenere lubet, & Magistratum furem suspendere posse dicimus. Move-
tur

tur enim ad hoc faciendum *constitutione humana*. Dicitur enim lib. 16. D. de pœn. Crescentibus delictis exasperandas esse pœnas. Quia verò furta nostris temporibus adeò crescere videmus, ut nulli fermè res suæ tuto maneant loco. Quapropter pœna exasperanda est. 2. *Salute & utilitate Reipub.* Novit enim pœnam hanc, tanquam spectaculum, horrendum, alios à similibus delictis deterrendi aptissimum esse. Hoc ergo negligere non vult. Ad *Calvini* argumentum ex lege Dei factum *respond.* 2. *Indirectè & per instantiam. Quicquid contrariatur legi divinæ Injustum est. Non capit alius Pœna filij inimorigeri Deut. 21. contrariatur legi divinæ. Ergo iniusta Conclusio est absurda Ergò vel Major vel Minor.* At non hæc. Ergo illa 2. *directè & per limitationem:* Quicquid contrariatur legi divinæ *moralis in N. T. repetita*, injustum est. At sic negatur *Minor*. Nam suspendium furum non contrariatur legi divinæ *moralis in N. T. repetita*. Committunt ergò hic *Adversarij fallaciam petitionis principij*. Taceo, quod ipsi *Calvini* nobiscum fateantur, leges Mosis forenses in N. T. esse abrogatas, neque nos obligare amplius. At lex de non suspendendis furibus est lex *focensis*. Ergo in N. T. est abrogata, neque nos amplius obligat. Cur igitur argumentum inde neçtere præsumunt. Quare vel thesin istam universalem revocent, vel prius in specie demonstrent, legem de non suspendendis furibus esse repetitam, & in N. T. confirmatam, quod in æternum non demonstrabunt. Ad rationem *respond.* eam laborare *fallacia cause solius*. Neque enim sola nobilitas corporis causa est, quò illud non suspendatur: sed etiam ejus legitimus usus. Quia igitur huiusmodi furum corpora ad nequitiam exercendam, & manus ad rem alienam auferendam sunt adhibitæ: pœna talis, nempe suspendium, illis rectè infligitur.

QVÆSTIO V.

An Magistratui concessa sit Venatio?

Negativam tueri videtur hoc argumentum: *Quicquid Magistratui ansam præbet ad crudelitatem exercendam, illud ei non est concessum. Atqui venatio Magistratui præbet ansam ad crudelitatem exercendam. Ergò ei non est concessa. Contra pro affirmativa pugnat hoc argumentum:*

Quico

Quicquid animosum reddit Magistratum, illud ei est concessum. Atqui verum est antecedens de venatione. Ergo & consequens. Ad Argumentum negativam suadens respond. 1. Indirectè & per instantiam: Quicquid Magistratui ansam præbet ad crudelitatem exercendam, illud ei non est concessum. Atqui bellum Magistratui præbet ansam ad crudelitatem exercendam. Ergo bellum ei non est concessum. Conclusio est absurda. Ergo vel Maior vel Minor. At non Minor. Reliaquitur ergo quod Major 2. directè & per limitationem: Quicquid Magistratui ansam præbet ad crudelitatem exercendam 1. per se, & 2. semper, illud ei non est concessum, At sic negatur Minor. Nam venatio Magistratui non præbet ansam ad crudelitatem exercendam 1. per se & 2. semper, sed tantum per accidens & interdum. Proinde in minore committitur fallacia accidentis. Quod si itaque verum est, venationem Magistratui non ansam præbere ad crudelitatem exercendam 1. per se 2. semper, utiq; culpa non venationibus sed multo magis quorundam venatorum vitijs adscribenda est, qui proclives sunt naturâ ad crudelitatem, ideo his potius ut valedicant venationibus, quam indulgeant, suadendus.

QVÆSTIO VI.

Num Magistratus causas subditorum in Iudicio audire, decidereque debeat, etiam instituto ordinario processu?

Negativa placet Anabaptistis & Photinianis propter verba Christi: *Ei qui tecum in iudicio vult contendere, & tunicam tuam tollere, demitte ei & pallium, Matt. 5, 40.* At nobis affirmativa. Etenim præcipuum Magistratus prolitici officium est, audire ac dignoscere causas subditorum in Iudicio. Quippe actio coram Iudice est defensio justa, quam Magistratus bonis subditorum, famæ & existimationi debet. Deinde Deus mandavit, ut controvertentes causas suas ad Iudicem ferant, *Deut. 25.* & ut ambo coram Domino stent in conspectu Iudicum, *Deut. 19.* Deniq; in N. T. exempla occurrunt eorum, qui etiam coram Ethnico Magistratu causam suam egerunt, ut 1. *Christus* qui percussus in maxillam exostulavit in Iudicio cum percussore. *Si male locutus sum, testificare de malo, si bonum cur cadis, Iohan. 18.* & 2. *Paulus*, qui provocat ad tribunal Cæsaris Romani *Act. 25, 10.* & cum percuteretur in maxilla,

in maxilla non alteram præbuit, sed percutiet te Dominus inquit, *payien dealbata. Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem jubes me percuti, Act. 23, 3.* Ad verba Christi respond. ea nihil obstare nostræ sententiæ. Christus enim non simpliciter prohibet iudicia politici Magistratus: ijs enim ipse quoque usus est *Iohan. 18, 23.* nec absolute præcipit, ut auferenti pallium etiam tunicam relinquamus: hoc enim ne ipsemet præstitit, sed vult suorum animos informare, ne propter res terrenas nimis sint contentiosi, sed si viderint, se etiam operâ Magistratus non posses suas tueri, amittant citius duplicari in se iniuriam & jacturam, quam ex vindictæ cupiditate rependant. Committunt ergo in horum verborum Christi citatione *Anabaptistæ & Photiniani fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter,*

QVÆSTIO VII.

*An quis juramentum, quum vel Magistratus id exigat, vel alio-
qui necessitas postulat, piè præstare possit?*

Defendant *Anabaptistæ, VVeigeliani, & Schvvengfeldiani affirmativam* hoc Syllogismo: *Quod Christianus est prohibitum, id piè præstare nequeunt. Atqui juramentum Christianis est prohibitum. Ergo id piè præstare nequeunt.* Minorem probent testimonio Christi. Hic enim dicit *Matt. 5. Ego vero dico vobis ne jurate omnino, neque per cælum, quia domus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neq; per Hierosolymam, quia urbs est magni Regis; neq; per caput tuum jures, quia non potes unum capillum album aut nigrum facere.* Esto autem sermo vester: *Etiam etiam, non non: quod autem supra hoc redundat, à malo est.* Nos negativam defendamus. Cur? Quia 1. *Quicquid verbo Dei præcipitur, illud est concessum.* Atqui *juramentum verbo Dei præcipitur, Deut. 6, 13 & cap. 10, & 20. Esa. 65, 16.* Ergo *juramentum est concessum.* 2. *Cujus finis bonus est, id ipsum bonum est.* Atqui *juramenti finis bonus est.* Quippe qui confirmatio fidei & veritatis, decisio litium, & controversiarum *Heb. 6, 1.* quo gloria Dei illustretur, & aliorum saluti consulatur. Ergo & ipsum *juramentum est bonum.* Si hoc verum, uti est, *Quid ni juramenta essent licita.* Ad Syllogismum *Anabaptistarum &c. respond. & quidem 1. ad Maiorem eam non esse simpliciter veram, sed hoc modo limitatam: Quod Christi-*
B anis

nis est prohibitum simpliciter & absolute, id piè præstari nequit. Ac
 sic negatur Minor. Si enim simpliciter & absolute Christianis prohibi-
 bitum esset juramentum, neque Christus ipse Matth. 5. neque Paulus,
 Rom. 11. jurassent. Quapropter in Minore committitur fallacia à dicto
 secundum quid ad dictum simpliciter. 2. ad Minorem, quæ hæc est: Atqui iu-
 ramentum Christianis est prohibitum, respond. distinguendo inter iura-
 menta temeraria & gravia: illa sunt prohibita Christianis: Quippe ex
 mera levitate, & nulla urgente necessitate temerè fiunt: Hæc concessa,
 quippe justis & gravibus de causis, & sic postulante necessitate
 præstantur, maxime ratione officij, & autoritate Magistratus. Ad
 locum Matthæi pro Minoris probatione adductum respond. Christum
 ibi non omnia sed futilia tantum & temeraria juramenta prohibere,
 ac consuetudinem Phariseorum, facile, citò, leviter & incogitanter
 jurandi, in ijs negotijs, quæ per EST & NON transigi possunt, dam-
 nare. Est igitur fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. In-
 stant Anabaptistæ: Christus dicit: Ne juretis omnino. Ergo omne iuramen-
 tum Christianis prohibetur. Respond. per negationem. Nam in verbis Chri-
 sti particula omnino restringenda est ad formulas temerarij iuramen-
 ti, quas Pharisei fingebant esse licitas: id patet ex distributione mox
 addita, neque per cælum, neq; per terram &c. Manet igitur firma
 nostra affirmativa juramentum exigente Magistratu aut necessitate,
 piè præstari posse & licitum esse fidelibus.

QVÆSTIO VIII.

Num Magistratui facere liceat quicquid libet?

Ratio dubitandi est, quoniam vulgò à Politicis dicatur: *Princi-
 pem esse solutum legibus.* At distinguendum hic est 1. inter Principem
 ut homo est, seu ut Ethice consideratur; & inter principem ut prin-
 ceps est seu ut Politicè consideratur. Priori modo Princeps est sub
 lege, quin & ipse sibi lex est, & quod subditis præscribit, ipse primus
 observat. Posteriori modo Princeps est solutus legibus, ut ipse pro
 salute Reipub. leges ferre aut mutare possit. 2. inter leges divinas &
 naturales, & inter leges pœnarias. Legibus divinis Princeps solutus
 non est, Quippe utriusque Decalogi tabulæ custos appellatur Ma-
 gistratus

Magistratus Deut. 4, 6. Ios. 1. 7. 8. Psalm. 72, 1, 2, 3. 1. Sam. 16, 20, 23. Neque naturalibus. Quippe leges naturales sunt immutabiles, & naturaliter, ac proinde immutabiliter hominem obligant. Sed legibus pœnarijs Princeps solutus est, non respectu obligationis, sed respectu executionis. Nam si deliquerit (& non contra leges fundamentales & conventionem propriam cum populo initam) non punitur.

QVÆSTIO. IX.

An Magistratus jus & potestatem habeat subditorum bona & facultates pro lubitu ad se rapiendi, vel alijs exactionibus illos expilandi?

In favorem affirmativa afferri solet illa Juris Regij descriptio, quæ extat 1. Sam. 8, 11. & seqq. ubi Samuel ad populum dicit. Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis facietq; sibi equites & præcursores quadrigarum suarum. & constituet sibi tribunos & centuriones. & aratores agrogrum suorum & messorum segetum & fabros armorum ac curruum suorum, filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, atq; vocarias ac panificas, agros quoq; vestros & vineas & oliveta optima tollet & servis suis dabit &c. Negativam tamen amplectimur. Primo, enim tale jus & potestas legi Dei contrariatur, Dent. 17, 16. & seqq. Deinde speciem furti habet. Quando enim Magistratus jure absoluto subditorum facultates & familias invadit, statim furtū committit. Postremo talis Tyrannus subditis ad seditionem contra Magistratum movendam, & ad publicam pacem & tranquillitatem Reipublicæ damno cū maximo turbendam ansam subministrat, uti vel sola bella cum Ruficis quondam gesta testari possunt. Ad argumentum contrarium, respond. descriptionem illam Juris Regij Magistratus jus & potestatem subditorum bona & facultates pro lubitu ad se rapiendi non stabilire, neque eam in verbis illis Prophetæ Samuel innui. Ibi enim ut ex vers. 3. & 19. constat, non describuntur maiestatis jura, sed quomodo Reges jure suo soleant abuti, indicatur. Deus enim ibi videt per Prophetam insanientis populi futorem, qui rejecto ipsius Dei imperio, quod per Judices hæctenus inter ipsos administraverat, ad morem vicinarum gentium Regem optabat, cujus mores eti-

am inconditissimos perferre necessum esset habiturus, neq; jugum
semel impositum facile excussurus.

QVÆSTIÒ X.

*An Magistratus juramenta suis hostibus servare
debeat?*

Distinctè hic respondendum est. Nam juramenta vel sunt *legiti-
ma*, vel *illegitima*. Legitima licita sunt, quæ in dilectionem Dei &
proximi non impingunt. Illegitima verò sunt, quæ vel per erro-
rem, vel per infirmitatem contra conscientiam facta. Hæc sunt re-
tractanda: illa servanda. *Probo*: quia 1. expresse dicitur Num. 30, 2.
*Si quis virorum votum fecerit Domino, aut se constrinxerit juramento, non fa-
ciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit.* 2. quia David
Simei hostem suum occidere noluit, propterea quod Jonathæ & semi-
ni jus juraverat, 2. Reg. 16. 3. quia Deus graviter punere solet pejurantes
Testis est Saul, ejusque posterum, 2. Sam. 12, 1, 2. Confer Iosu. 9. & 1. Sam.
28, 3 9. Testis est quoque Ladislaus Vngariæ & Poloniæ Rex, rump-
pens fœdus Politicum cum Amurethe Imperatore Turcico initum
ex instinctu Romani Pontificis, libr. 5. Chron. Canon.

QVÆSTIÒ XI.

An Christiani Magistratui Politico servire queant?

Anabaptistæ simpliciter negant hoc Syllogismo: *Qui debent Deo
servire, illi non possunt Magistratui Politico servire. Atqui Christiani debent
Deo servire. Ergo non possunt Magistratui Politico servire.* Majorem pro-
bant ex Matth. 6. ubi Christus dicit: *Nemo potest duobus dominis servire.*
*Atqui Deus & Magistratus Politicus duo sunt domini. Ergo nemo illis servire
potest.* Verum nos affirmamus hac ratione. *Qui debent Magistratui
politico subditi esse, illi etiam ei possunt servire. Atqui Christiani debent Ma-
gistratui Politico subditi esse, ut patet Rom. 13. Ergo. Ad argumentum in
contrarium adductum Resp. i. Indirectè & per instantiam: Qui debent Deo
servire, illi non possunt Parentibus servire. Atqui liberi debent Deo servire.
Ergo non possunt parentibus servire. Conclusio est absurda. Quippe
Scripturæ*

Scripturæ repugnat. Hæc enim expresse dicit: *liber obedite & consequenter servite vestris parentibus 2. Petr. 1.* Absurda igitur erit vel *Major* vel *Minor*. At non hæc. Ergo illa, 2. *directè & per limitationem*: Qui debent Deo servire illi non possunt Magistratui politico servire eodem servitii genere. At limitata ita majore propositione, conceditur argumentum, sed nihil concludit contra eam sententiã qua in alio ut pote civili ipsi magistratui obediendum esse asseritur. Ad *Prosyllogismum*, qui ad probationem majoris principalis argumenti producit, *Resp.* iterum 1. *Indirectè & per instantiam*: *Nemo potest duobus dominis servire. Atqui Deus & Ecclesiasticus Magistratus duo sunt domini. Ergo nemo potest illis servire.* Conclusio est absurda, ut pote Scripturæ repugnans, quæ dicit: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo Act. 20. 28.* Ergo vel *Major* vel *Minor*. At non *Minor*. Relinquitur ergo quod *Major* 2. *directè & per limitationem*: *Nemo potest duobus sibi invicem contrarijs dominis servire.* At sic negatur *Minor*. Nam Deus & Magistratus Politicus nō sunt contrarij, quales simpliciter Deus & Diabolus; sed subordinati Domini, ita ut π servire Deo & π servire Magistratui politico bene in uno subjecto convenire queant. Quapropter Anabaptistæ in hoc prosyllogismo committunt 1. *fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, dum id, quod Christus *κατὰ π* negat, nempe neminem posse ejusmodi duobus dominis servire, quatenus in omnibus sibi adversantur, *ἀπλῶς* negant de omnibus dominis sive Deo sunt contrarij sive non. Quod autem de talibus sibi invicem contrarijs dominis apud Matthæum sermo sit, inter cœtera hinc patet, quod Christus servitium Dei & servitium Mammonæ opponit, 2. *fallacium oppositorum*, dum Magistratum Politicum Deo, & Deum magistratui politico tanquam contrarijs Dominis opponunt, quod fieri tamen non debet.

QVÆSTIO XII.

An Magistratus tempore persecutionis fugere possit?

Distingue. Persecutio aut est universalis totam Reipub. aut particularis hujus vel illius Magistratus personam concernens. Illa fugâ declinari non potest. Nam ubi tota periclitatur Reipub. ibi

maximè Magistratus curâ, consilio, & auxilio opus est. Hæc verò optimè potest. Probo ab exemplo Christi. Nam cum Pharisæi Christo insidias struerent, deque ipso perdendo consilia agerent, fugam petijt, Matt. 12, 15. *Taceo quod Christus præceperit Matt. 10, 23. cum persecuti fuerint vos in civitate ista : fugite in altam.*

QVÆSTIO XIII.

An Imperator Romanus cum Turca fœdus inire possit ?

Fœdus trium est generum. Unum enim dicitur Ecclesiasticum sive Religionis, quod Ecclesiæ & Religionis purioris defensionem & propagationem concernit: alterum politicum, quod pacem publicam & tranquillitatem civilem tantummodo respicit: tertium mixtum, quod partim religionis purioris, partim pacis publicæ assertionem respicit. De merè politico, quod per se licitum, fœdere hic quaeritur, an id Romanus Imperator cum Turca inire queat. *Videtur quod non.* Etenim 1. expressè dicitur Exod. 34, 12. *Cave ne unquam cum habitantibus terræ illius (qui teste versu precedente erant Amorrhæi, Chananæi, Hebræi, Iebusæi) jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam* 2. quia Turca est hostis Ecclesiæ Christi. At enim verò sententia affirmativa vera. Ita enim argumentor. Quicquid saluâ conscientia & sine jactura religionis præstare licet, illud utiq; mediante transactione fœderali pacisci licet. Atqui pacem publicam & tranquillitatem civilem præstare & colere debent fideles cum omnibus hominibus: & cum primis Magistratus p̄ officium est, subditorum jura ac privilegia ita asserere ut civilis societas & quæ sunt vincula & nervi contractus, navigationes & id genus, alia liberè ac tuto exerceri possint. Ergo hoc ipsum mediante etiã transactione fœderis pacisci licet cum omnib; hominibus Ad legem contra hanc nostram opinionem allatam respond. illam fœdera cū infidelibus inita non simpliciter & in se prohibere, nam Abraham fœdus inivit cum Amorrhæis, sive Cananæis, nempe cum Mambre, Escole, & Amere contra Reges orientales, sive Persas, qui Sodomitis bellū moverant, & Lothum cum familia captivum abduxerant, Gen. 14, 13. Idem Abraham cum Abimelecho, Gen. 22. Josua cum Gabeonitis, Jos. 9. David cum Rege Philistæorum, 1. Sam. 27. Salomon cum Pharaone, 1. Reg. 3. Judas Maccabæus cum Romanis, 1. Maccab. 8. Simon Sacerdos cum Spartanis & Romanis 1. Maccab. 14. sed secundum quid, & certo sine, ne scilicet infidelium operum impijssimorum nos participes faciamus. Committitur

tur

tur ergo hic fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Ad secundum respond. Majorem non esse simpliciter veram. Patitur enim instantiam. Siquidem subsumi potest de *Amorrhæis, Chanaanæis, Hethæis, Jebusæis* qui erant hostes Ecclesiæ Dei in V. T. quibus tamen sancti Viri fœdera percusserunt 2. Committitur ergo fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam non simpliciter, sed cum hac restrictione vera est, si lex divina prohibeat. At sic negamus Minorem. 3. Hinc etiam committitur fallacia cause solius: dum sola hostilitas Turcæ erga Ecclesiam Dei causa, ob quam Romanus Imperator cum eo fœdus merè politicum pangere nequeat, statuitur.

QVÆSTIO XIV.

An D. Lutherus Magistratum contempserit?

Pontificij Lutherum graviter accusant, quasi Magistratum spreverit, sicut Apostata ille pravissimus *Johannis Subgus* in concione sua Revocatoria calumniatur. Verum B. Luthero ab illo injuriam fieri, patet ex articulo 14. inter septendecim D. Lutheri articulos, qui sic habet: Das in des/biß der Herr zu Gerichte kömpt / vnnnd alle gewalt vnnnd Herrschafft außheben wird / sol man Welliche Obrigkeit vnnnd Herrschafft in ehren haben / vnd gehorsam sein / als einem Stand von Gote verordnet zu schützen die frommen / vnd zu stewarten den bösen / das solchen stand ein Christ / wo er darzu ordentlich beruffen wird / ohne schaden vnd g-fahr seines Glaubens vnd seiner Seelen Seeligkeit / wolle führen / oder darinnen dienen mag. Inquies tamen B. Lutherum in scriptis suis quam sæpissimè durè de Magistratu locutum esse, ac proinde eum sprevisse. At respon. hic 1. per concessionem. Concedimus enim D. Lutherum in scriptis suis quam sæpissimè de Magistratu durè locutum esse; sed quod inde inferri possit hæc conclusio: Ergo D. Lutherus Magistratum sprevit, constanter negamus. Aliàs sequeretur, ipsum Prophetam *Esaiam* Magistratum contempsisse, qui Principes vocavit *socios furum* Esa. 1.22. Nam quid hocce vocabulo durius? 2. per distinctionem. Nam probè hic distinguendum est inter ipsum Magistratum & Magistratus *αρχιαν*. Ille est à Deo, cujus est ordinatio: Hæc verò à Diabolo: Illam Lutherus in omnibus suis scriptis approbavit; hanc verò graviter improbavit, ideoque sæpè durè de hac Magistratus

stratus

Aratus ἀραζία locutus est. Audiatur ipse B. Lutherus. Sic enim in I. Part. p. 128. scribit: Ob ich die Bischoff nicht halte als Bischoffe / sol mir niemand mißreden / sie halten sich selbst nicht als Bischoffe vnd ich thue noch zuviel / daß ich sie Bischoffe nenne / welches ein alter / heiliger / Ehrlicher Nahme ist / ich solt sie nur Wölffe vñ Seel Mörder nennē. Ein Bischoff sol in der Bibel gelehret sein / studiren Tag vñ Nacht / selber predigen seinē Bote / vnd die Armen / Kranken / dürfftigen besuchen / ihnen geben vnd helfen. So rauben sie wie ein Dieb / den frommen Leuten jr Gut mit Liegen vnd triegen / Darumb wil ich die Wölffe allhier beschreiben / vñnd erliche ihre tugenden anzeigen / dafür jederman zu warnen. Ich wil sie noch nicht in eigener Verschon / oder Weltliches Standes vnd wesens halben antastē / sondern vmb ihres Wölffischen Regimentes willen. Et 5. art. Ich bedinge hiermit / daß alles was ich wieder diß vermennere Kaysersliche Edict oder Gebot in diesem Buch schreibe / nicht wil geendert noch verstanden haben / als wieder Kays. May. oder einige Obrigkeit / Geistliches joder Weltliches Standes / geschrieben / sondern weil der Weise König Salomon sagt / daß ein einiger Bösewicht zu Hoff groß Unglück kan schaffen / vñnd widerumb ein einiger frommer Daeman zu Hoff viel guts schaffen kan / so wil ich hier nicht den frommen Kaysers / nicht den frommen Herren / sondern die Verräter gemeinet haben / so vnter dem Kayserslichen Namen ihren verzweiffelten mutwillen vornehmen.

COROLLARIA.

Num Papa verbum, quod non est Dei, facere possit, ut sit verbum Dei? N

An rectè fecerit Gregorius II. Pontifex Romanus, quod Leonem Imperatorem excommunicaverit, & vctigalibus privaverit? N.

An Magistratus Advocatos in Repub. tolerare queat? D.

F I N I S.

B...

28